





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> MEDICA INAUGURALIS 1725, 2  
DE  
**USU FRICTIONUM**  
**IN MEDICINA,**  
QVAM  
ANNUENTE DEO,  
CONSENTIENTE  
**GRATIOSO ORDINE MEDICO,**  
ET MODERANTE  
*VIRO AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO*  
**DN. CAROLO FRIDERICO**

*Luther/*

MEDICINA DOCTORE, EIUSDEMQUE INSTITUTIO-  
NUM, PHYSICAE ET BOTANICAE P. P. O.

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

**GEORGIUS FRANCK,**

KILIA HOLSATUS,

AD DIEM DECEMBR. C<sup>o</sup> 1000 XXV.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS SOLITIS ANTE ET POMERIDIANIS.

---

KILIAE,

LITTERIS IO. CHRISTOPH. REUTHERI, ACAD. TYPOGR.

DE SCIENTIA MEDICA IN UNIVERSITATE  
BRAUNAUENSIS  
USU REGIONUM  
IN MEDICINA

ANNUINUS DEO,  
CARTIO OGDIPHE MEDICO,  
ET MODERANTIA  
ARISTOTELIS ET PLATONIS  
DE CAGIOLO HENDRICO

SUMMA IN MEDICINA HODORIUS ET  
HYPATIUS RIBAECIUS HODORIUS ET  
GODFREDUS FRANCIS

ALBERTUS MAGNUS  
DE HISTORIA NATURALIS

**ILLUSTRISSIMO ATQUE EX-  
CELLENTISSIMO  
HEROI  
HENNINGIO  
FRIDERICO  
DE  
BASSEVITZ,**  
Dynastæ in Prebro & Grivé,  
*ORDINIS IMPERATORII SANCTI  
ANDREAE EQVITI,*  
REGIÆ SUÆ CELSITUDINIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
REGNANTIS SLESVICI ET  
HOLSATIÆ DUCIS  
Ministro Status Primario  
et  
**CONSILII INTIMI**  
Præfidi,

(2)

Pari-

Pariterque  
**PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO**  
**ET EXCELLENTISSIMO**  
**DOMINO,**  
**DN. MATTHIÆ**  
DE  
**CLAUSENHEIM,**  
Dynaſtæ in Potrems & Scharstorff,  
REGIÆ SUÆ CELSITUDINIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
REGNANTIS SLESVICI ET  
HOLSATIÆ DUCIS  
Consiliario Intimo,  
ORDINIS EQUESTRIS SANCTI ALEXAN-  
DRI NEWSKI EQUITI,  
ET  
CAPITULI HAMBURGENSIS  
CANONICO,  
**MAECENATIBUS suis**  
Summe Colendis  
S. P. D.  
GEORGIUS FRANCK.

Quam-

**Q**uamvis incertus diu atque dubius  
hæsitaverit animus, an dissertatio-  
nem hanc meam Inauguralem Vo-  
bis, Viri Perillustres, offerrem; non  
potui tamen, quin tanquam perpetuum  
obsidem subiectissimi animi eam Nominis  
Vestris inscribere sim ausus. Vestra  
enim immortalia merita, quibus Holsatia  
gaudet, splendet, floret, cum tanta sint,  
quanta, non dicam augere, aut ornare ora-  
tione, sed enumerare, aut consequi nemo  
mortaliū valebit, ecquem ab hoc conatu  
deterrere non potuissent? Ut inde quoque  
temerarium videri posset, quod molitus sim,  
nec decorum satis, quod levibus his paginis  
Perillustria Vestra atque Excelsa præ-  
scripserim Nomina, quæ non modo, qui  
nunc sunt, homines venerantur, sed et po-  
stera ætas alet, æternitas ipsa intuebitur.  
Sed ad singularem Vestram humanitatem

( 3

con-

configio, & ea spero benevolentia, quam  
omnes in Vos admirantur, fore, ut benigne  
acciuntis, cum summos in medicina hono-  
res ambiam, ad tuendos hosce, ac splendi-  
diores illustrioresque reddendos hoc ipso me  
totum, meaque omnia patrocinio Vestro  
demisse tradere sim ausus. Servet Vos  
perpetuo, Summi Mæcenates, Deus  
Optimus Maximus, ac tueatur in seros  
usque nepotes, usque abundantissime rebus  
cumulet, quibus summa mortalium con-  
summatur felicitas, id precor, id supplex  
veneror. Scripsi die 19. Decembr. anno  
CIC 10CC XXV.

XXXCCCI CIO  
Sed ad huiusmodi Aefficiunt permutatio-  
nes cor. (3) 500

## Præfatio ad Lectorem.

Cum summi in medicina honores nemini tribuantur, antequam publico quodam edito specimine viam sibi struxerit, qui hos ambire cupiat; dubius diu ancepsque mibi fuit animus, quam materiam eligerem, & lectu dignam lectoris, honoribus his accommodatam, & denique viribus meis appositam. Obtulit sese tandem mihi in bivio harenti frictio, qua a veteribus magni estimata est, & usurpata: hodierno tamen tempore negligitur, & in desuetudinem fere abit. Nescio autem, quo fatig frictioni nostra contigit, ut collectam Medicorum gratiam effuderit, ut exulans contemnatur, ac proxihilo fere putetur: que tamen, si detur medicamentum universale, hoc titulo superbire optimo jure potest. Quicquid enim de Nectare & Ambrosia, quorum efficacia Deos a mortalitate immunes mansisse ferunt; de Magisterio universi, Radice & ligno vite, Calo humano, Exuviis phœnicis, Igne invisi bili morbos quoscunque devoranti, Tinctura physica, Lapide angulari, philosophico, offensionis, Centro universi, omnibus & nihil dicunt nonnulli, magnifica, quibus illorum ingenia jucunde ludunt & oblectantur, fictiones & pomposa nomina sunt; cetera autem exanguia, ut ultima inde denominatio mibi maxime videatur veritati consentanea, dum hac medicina instructi se possidere putant omnia, possident nihil. Quid dicam de nugacissimis Amuleis, qua solis verbis mirabilibus chartis inscriptis appenduntur, quale est illud famosum Abracadabra, de quo versiculos habetur.

Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra  
His lino nexis collum redimere memento.

Taceam transplantationes morborum in arbores, projectiones linæ teaminum agrorum in fluenta, caras sympatheticas, qua miris modis & sape anili superstitione ingenia Medicorum agitant atque exercent; quorum tamen effectus otioso expectandi adhuc veniunt.

unt. Laudibus extollere licet, qui velit, in regno vegetabili Di-  
ctamnum, Viscum quercinum, quem lignum sancte crucis Gen-  
tilis Fulginas vocat, Hypericon, quam & Herbam Sancti Johan-  
nis, & Fugam demonum, Angelicam, quam Spiritus Sancti ra-  
dicem, Anagallidem, quam solatum Melancholicorum nonnulli  
vocant: salviā, de qua Schola salernitana.

Cur moriatur æger, cui salvia crescit in horto?  
& paulo post

Salvia salvatrix, naturæ conciliatrix  
Borraginem juxta versiculum

Dicit Borago, gaudia semper ago.

Achilleam, que ut Achilles olim hostes suos ita etiam morbos pro-  
fligat, mea jam parum refert; modo insnuo, quod Anatomia paga-  
gyrica tanta non promittat, quanta de iis predicanter. Preter-  
eam Liquorem Alcahest Helmontii, Oleum Antimonii per se pa-  
ratum, Oleum Mercurii Antimonii & similia medicamenta, quæ  
magna promittunt, quorum effectus tamen in vera Medicine lu-  
dibrium, ægrorumque maximum detrimentum abeant. Ad fri-  
ctionem me iterum converto, de qua licet nulli verborum orna-  
mentis gaudeat, afferere tamen audeo, quod illa plurimos morbos  
extinguere, & homines ad summum sanitatis fastigium evehere  
valeat. Libet igitur paulo latius differere in hac dissertatione,  
quid de hocce medicamine sperandum sit; si quædam tamen sint  
minus recte aut rudiore stylo posita, vehementer conditos Lectores  
oro, ut illa serena mente transcant, & secum perpendant, ubi de-  
sint vires, non est spernenda voluntas. Faxit autem Deus, ut omnia  
prospere cedant.

§. I.





### §. I.

**V**eteres, qui optime agnoverunt, actiones corporis animalis in motu humorum in vasis suis, inque horum renixu in illos consistere; non immerito magni aestimarent, & usurparunt ea remedia, quorum ope impulsus humorum in solida, horumque reactio in fluida conservaretur. Balnea, frictiones, exercitationes, unctiones, usiones, incisiones usque ad osfa, ablutiones, capitis purgationes per sternutatoria, ejusdem lotiones, vellicationes, succussiones, & hujus generis remedia, annotante *Bagliu*, in primis erant, quæ huic scopo inserviebant, quæ læsum corporis motum, integrum rursus reddebant. Ut inde quoque horum exemplo permoti Indi & Orientales, teste *Prospéro Alpino* de medic. Ægypt. hodierno adhuc tempore omni fere morborum generi inustionibus & acuum puncturis medeantur. Nec immerito. Cum enim per nixum humorum in solida, horumque renixum in fluida actiones corporis animalis exerceantur, facile patet, ab his binis etiam, vitam, sanitatem, morbum & denique mortem pendere.

§. II. Mittam, quibus magnorum virorum ingenia sæ-  
per numero jucunde luserunt, dissensiones de vita ac vitali  
principio; cum mea sententia illi in primis motus consti-

A

tuant,

tuant vitam, qui in corde, pulmone, & cerebello ea lege fiunt, ut mutua sit liquidorum communicatio, quam facit circulatio per vas a ex corde iterum in cor. Et quia nihil ex corde expellitur, nisi per arterias, nec recipitur nisi per venas, recte statuitur, vitam esse illum corporis humani statum, in quo concurrent motus cordis, pulmonum & cerebelli, ita ut, si humoribus ex corde in pulmones & cerebellum, & ex his partibus in cor nullus aditus sit, vita desinat. Pendet secretio spirituum a pulso ad superiora sanguine, pendet motus cordis a derivatione maxime nervosi liquidi ad villos suos, ita ut languens alterius actio instauretur per alteram. Ex quo igitur apparet, quod vita sine actionibus, & actiones sine vita & motu consistere nequeant.

§. III. Cum igitur omnes actiones corporis viventis in motu consistant, nec absque eo perfici possint, haec actiones nihil aliud sunt, quam motus determinati corporis, quam determinationem motus ab ipsis partibus accipit. Motus enim spirituum in cerebro, bilis in hepate, in renibus urinæ et sim: secretio audit, motus in corde contractio & dilatatio, in brachio extensio, flexio & elevatio et simil nuncupatur: ut adeo actiones omnes corporis viventis nihil aliud sint, quam motus ejus universales. Quæ actiones autem vocabulo recepto vocantur functiones. Functionio dicitur facultas physica, per quam potest exercere vel facere actionem quandam: actio est motus definitus per naturalem partium habitum, naturalis ille habitus est conformatio partium consistentium & fluidarum.

§. IV. Jam vero philosophorum assertum est, nullum corpus se ipsum movere posse, sed ab alio movente moveri; considerandum igitur veniet, a quo corpus animale motum

tum

tum suum accipit, quod proinde vita principium salutatur. Sed magna etiam hic dissensio adest. Nonnulli anima rationali hoc adscribere contendunt, cuius imperio omnes motus fieri annunt; ast huic sententiae subscribere an- ceps adhuc hæro. Evidem non diffiteor, quod quædam ejusmodi mutationes & actiones ab ea proficiunt videantur; verum tamen earum non vera sed occasionalis causa exi- stit, quatenus sc. mens nostra in conceptibus formandis o- peratur, eosque loquela exprimere jubet, ut dicit Job. Bob- mius in circulo anat. phys. neque tamen de variis thoracis, diaphragmatis, pulmonum motibus, de lingua volvenda, de tracheæ cartilaginibus adducendis & abducendis, similibus- que & infinitis fere aliis motibus sollicita est, ne nunc dicam, quod multæ ejusmodi actiones nesciente ac non ad- vertente, immo plane invita illa exerceantur. Præterea bru- ta, anima rationali destituta, æque commode chylificatio- ne, circulationibus, variis secretionibus & reliquis opera- tionibus gaudeant ac homines, ut inde anima rationali so- lum actiones immateriales adscribenda sint, reliquarum autem commune brutis & hominibus principium sit. Huc accedit, quod principium vitale in multis animalibus v. g. lumbricis, lacertis, serpentibus, anquillis, apibus & sim. di- visibile observetur, ac levi quadam ligatura & compressio- ne ab aliqua parte arceri possit; immo in hominibus de- collatis videamus, quod labia eorum, oculi & trunci variis motibus, variis exagitationibus adhuc moveantur. Quæ igitur modo memorata, cum ostendant, non omnes actio- nes corporis pendere ab anima rationali, sed eas tantum, quas cogitatio involvit, in partibus corporis animalis qua- rendum erit vitale hoc principium, quod motum corpori inducere valet.

A 2

§. V.

§. V. Partes igitur corporis animalis conflatae sunt vel ex firmis sive solidis, vel ex fluidis. Cum autem partes firmæ aut vasa, coërcentia humores sint, aut instrumentorum loco serviant, sic factorum, figuratorum, & connexorum, ut ex singulari hac fabrica determinati quidam motus ex surgere valeant, si causa movens accedat; fluida principium movens constituere apparet, utpote quæ natura sua ad motum suum perennandum præ solidis aptiores existunt. Jam vero cum nullum in corpore animali occurrat fluidum præter sanguinem, cum fluidum huic motui appositum omnes corporis partes transire debeat, ut ipsa vitales evadant, omnisque partium motus ac vitalitas ab influxu sanguinis dependeat; non immerito sanguis ut principium movens salutatur, aut si mavis, in sanguine consistit hoc principium. Huic quoque sententia robur addit facer codex, dum animam carnis sanguinem & in sanguine esse sapientius contestatur. Interim tamen cum nec sufficiat inesse corpori animali principium hoc movens, sed desideretur etiam, ut id ad omnes corporis partes deferatur, & iis communicetur, circulatio adest, quæ huic commodo inservit, & per totum corpus distribuit. Possem hic omnes tum solidorum, tum fluidorum, quæ ad circulationem concurrunt, recensere conditions; sed ne destinatos limites labor præsens excedat, circuitum modo sanguinis per vas attingam velut in transcursu.

§. VI. Chylus, in transitu per abdominis & thoracis vias, lympha dilutus, per valvulam, quæ ad finem ductus thoracici in subclaveam sinistram hiat, ascendit nixu, inferiorum partium, & sanguini guttatum per intervalla effusus mixtusque per venam cayam se exonerat in saccum Lowelianum. Ex quo in dextram cordis auriculam instar pecten

nis

nis figuratam, ex hac & sinu venoso simul in dextrum ventriculum. Huc compulsa & per tot columnas pressus agitatusque auget fluiditatem, & vi musculari in arteriam pulmonalem infunditur trium valvularum semifacciarum favore, quæ illo connivent, & tricuspidalium, quæ tunc occlusæ priori via regurgitare cohibent. Pulmonalis vero arteria in duos ramos per mediastinum divisa utrumque pulmonis lobum perreptat, & in venas terminatur, quæ concursu suo saccum formant muscularèm tanquam communem alveum, cordis sinistro orificio accumbentem. Huic iterum adnata carnosa auricula, in quam proinde & cordis sinistrum ventriculum accessus refluens sanguini datur binarum valvularum ovalium ope, quæ deinceps elongato ventriculo collapsæ orificium stringunt, ut nonnisi in aortam tribus semilunaribus valvulis mutantam exitus detur. Ex hac aorta per infinitos ramos in omnes partes extrebas sanguis diffunditur, & per venulas iterum collectus motu perenni & assiduo ad venam cayam corque dextrum redeat, easdem rursus circuitus leges secuturus. Cæterum ea est arteriarum & venarum conditio, ut, ubi omnes arteriolæ tanquam aortæ rami deorsum progrediuntur, sursum tendere incipient venulæ, & ubi illæ angustissimæ descendunt, hæ angustissimæ ascendant, intermedio plexu reticulari. Ita semper unius canalis expansio est, alterius accumbentis pressio & mutua contentorum propulsio, ad vitæ functiones & majorem circumfeundi facilitatem necessaria, nisi quod in solis musculis, cuius hic magna ratio habenda est, venæ nonnihil segregentur ab arteriis per fibras interpositas, adeoque hie tardior humorum progressus motu corporis & muscularum actione vel his debilitatis nostra frictione sit adjuvandus.

§. VII. Cum igitur omnes corporis motus a circulatione, tanquam a causa efficiente pendeant, quæ, si cum facilitate, oblectamento & constantia quadam contingat, sanitatem ac perfectam vitam facit; medico necesse erit, ut ad eam omni sedulitate mentem sollicite advertat. Hac enim circulatio est, quam veteres naturam hominis vocarunt, & medico ita commendarunt, ut nihil moliendum esset, antequam medicus naturæ vires seu vim vitæ probe & exacte cognovisset. Hinc Magnus syd. nham dicit, non aliam arti Hippocratem demandasse provinciam, quamut deficienti naturæ succurrat, effrænam cōrceat, & in ordinem redigat. Sed quomodo ille, qui nescit vim circulationis, qui nescit ejus recessum a statu naturali, deficienti naturæ succurrere, effrænatam domare poterit ac in ordinem redigere. Quomodo morbos depellere, aut adrepentes antevertere is valeat, qui, unde hi sint, ignoret. Quid enim sibi velit conservare sanitatem & vitam aliud, quam conservare functiones præsentes, & quid tollere morbum, ac laesam functionem restituere. Functiones vero sunt determinati corporis organici motus, qui sunt ab impellente fluido in solida, & ab his reagentibus iterum in fluida, & varia deinde ab ipsis partibus sortiuntur nomina.

§. VIII. Si nunc impulsui liquidorum renixus solidorum aequabiliter ac ordinate respondeat, non potest non, quin sanitas & omnium corporis actionum integritas adsit; sed quis mortalium hac semper felicitate frui, & incorrupta sanitate ac perfecta vita gaudere potest? tot enim casibus obnoxium, tot rerum discriminibus circumvallatum genus mortale, non potest non, quin reluctante etiam mente in varios morbos sape incurrat. Injuriae aëris, qui nos ambit & alimenta, quibus vescimur, ut pauca modo attin-

attingam, varias corpori mutationes, varia morborum genera inferre valent, si robur corporis nostri non suppetat ad vires eorum vincendas. Quot morbi non originem sumunt a laesa perspiratione, quod non oriuntur ex variis alimentis, quibus utimur, ratione qualitatis vel copiae. Sed quid praestantius ad sanitatem conservandam, quid efficacius ad morbos tollendos motu. Ut inde *Verulaminus* libr. IV. de augmentis scient. cap. 1. recte dicat, *vix aliquam in morbum inclinationem inveniri, quæ non exercitatione quadam propria corrigi posse.* Et *Avicenna* libr. 1. F. E. N. cap. 1. *possent homines, si debito tempore exercitio ac labore uterentur, omnibus medicis carere & medicamentis.* *Sanctorius* in libr. de exercitio & quiete scribit, *si homines exercitio ac labore uterentur, carere possent multis medicis & medicamentis.* *Platinus* de tuenda valetudine pag. 145. dicit, *quod stomachus motu, in quo calor inest, ad appetitum excitetur, & mens ad cognitionem rerum occultarum & mirabilium celerior & acutior reddatur.* Cum igitur nihil occurrat in rerum natura, quod circulationem sanguinis & reliquorum fluidorum in justo ordine ac aequilibrio conservare, aut ex eo statu dejectam in aequilibrium rursus redigere valeat quam motus cuique homini aut morbo conveniens; inter varia motuum genera præ aliis frictio aptissima mihi esse videtur, quæ in extremis etiam vasis ubique & pro lubitu medici selectis institui, adeoque omnium hominum proprium esse remedium accommodatumque potest.

§. IX. Frictio est artificialis, successiva & alterna compressio & laxatio vasorum, manibus aut aliis instrumentis externe adutem peragenda.

§. X. Tria apud veteres occurrunt frictionum genera, parasce vasa, apotherapeutica & medicamentosa.

§. XI.

§. XI. Fric<sup>tio</sup> paralcevastica, latinis, prævia si præparatoria duplex erat vel sicca vel humida. Humida confitebat in leni fricatione cum pauxilli olei admistione, ut corpora laxarentur, & per laxitatem præpararentur ad ob-eunda quæcunque exercitia, ne ab immodica, ut dicit *Mercurius* de arte Gymnastica, quiete ad magnum motum perinde ac a contrario ad contrarium absque medio venient homines, ut apti evaderent a quiete ad magnum suscipiendum motum, unde proprium athletarum fuisse scribit *Galenus* l. 3. de tuend. valetud. cap. 8. & 12. & porro l. 2. cap. 3. Inde *Martialis* l. 4. epigr. 90. cecinit.

Hinc oleo corpusque frico, mollique palestra.  
Fric<sup>tio</sup> præparatoria sicca inserviebat, ut meatus corporis densentur, eorumque laxitas corrigitur, vid. *Galenum* l. 2. de tuend. valetud. cap. 3. & lib. 3. cap. 11. qua densitate sudor ex corpore manare impeditebatur, & consequenter robur corporis conservabatur.

§. XII. Fric<sup>tio</sup> Apotherapeutica sive recrutoria siebat lenissima fricatione cum multo oleo vel quoctunque liquido post quæcunque exercitia peracta. Hæc fric<sup>tio</sup> iis inserviebat, ut corpora fessa ac exsusta a laboribus emollirentur, meatusque relaxando excrements purgarentur, ut ait *Galenus* l. 2. de tuend. valetud. cap. 2. & 12. vel secundum *Bellini* proposit. 8. de sang. missione pag. 134. ut vili cutis a nimio calore, siccitate & contraktione vindicarentur, vel ut *Galenus* de simpl. medicam. facult. explicat, ut tensare mitiant, partes fatigatae laxentur, dum quicquid foras effluere tenet; ne cohibeatur & recludatur.

§. XIII. Fric<sup>tio</sup> medicamentosa erat, quæ medicamentorum loco corporibus a statu naturali desistentibus applicabatur.

§. XIV.

§. XIV. Instrumenta, quibus frictio externe peragitur, dividuntur in sicca & humida. Illa, quæ fiunt manibus calidis, linteolis asperis, molibus, siccis, calefactis; pannis laneis, manicis ex panno confectis, strigilibus, verriculis, straminibus molibus, arena, pulvere pumic: sale trito quo-  
cunque blando. Hæc rursus dupliciter evadunt blanda ni-  
mirum, & acria; Blanda sunt ol: olivar: amygdalar: dulc:  
lilior: alb. etf: acria vero ol. chamoem. aneth. laurin. cala-  
minth. costin. spicæ, nardin. cass. lign. fabin. ol. cum sale,  
sinapi, ruth. & piper. coct. vin. odorifer. sp. quicunque aro-  
matici & quorumque aromatum suffumigia.

§. XV. Differentia frictionum sex numerantur: mol-  
lis dura & inter eas media, multa, pauca & in eo genere  
mediocris, *mollis solvendi*, ut habet *Celsus ex Hippocrate*,  
*dura ligandi*, *multa minuendi*, *mediocris carnem generandi*  
*vim habet*, ut inde mulieres Ægyptiorum, teste *Alpino de*  
*medic. Ægypt. lib. III. frictione molli & modica utantur, ut*  
*pinguescant.*

§. XVI. Subiectum, quod fricitur, est cutis & vasa sub-  
cute collocata & distributa. Panniculus adiposus sive mem-  
bra cellulosa, supra musculos sita, valde dilatabilis, & in  
omnem dimensionem excrescere potis constat infinitis cu-  
juscunque generis vasculis, nervis, arteriis, venis, lymphati-  
cis, cellulis oleosis, in mirabilem texturam redactis, quæ  
dein extrorsum vergentes ipsam cutim constituunt, nec fi-  
bris muscularibus, quarum robore etiam firmatur, atque  
earumdem contractili vi oleum spissius suis cellulis colle-  
ctum propellit, caret. Et hoc est pingue illud stratum plu-  
rimorum morborum sedes. Supra hanc pinguedinem re-  
peritur stratum nervosum & glandulosum, ex congerie  
nervorum, tum glandulis miliaribus dictis, nec non alis

B

pluri-

pluribus vasis contextum. Huic supersternitur tenuissimum stratum rete mirabile dictum, ex arteriis, venis, lymphaticis, tumque & nervis sua adhuc dura membrana testis, compilatum, & glandulis miliaribus superimpositum. Hic jam nervi involucrum suum crassum a dura matre protensum deponunt, hocque supra corpus nostrum expandunt, unde reticulare corpus efformatur, à *Malpighio* primo detectum, dein a *Ruyfchio* confirmatum. Ex hoc emergunt papillæ nerveæ que sub epidermide proxime jacent Inter has papillas nerveas jacent innumerabilia vasculosa emisaria, subtilissima, meatus unctuosi, venæ ibi patulæ resorbentes, & alia vasa cuiuscunque generis; Sed omnia hic enarrare vetat propositum. Epidermis tandem finis & terminus ultimus omnium vasorum omnia præmissa tegit & investit, & tenerrimæ structuræ est, nullo sensu præditus, nec tamen sua tenacitate sensum impedit. Vasa nulla arte detegendis constat, sed infinitis squamulis incredibiliter parvis, cucurbitulæ vel cucuphæ figuram referentibus, gaudet, sub quibus latent omnia reliqua vasa.

§. XVII. Usus frictiois est inservire circulationibus omnium fluidorum corporis nostri, tollendo causam, quæ damna iis inferre possunt, aut jam attulerunt. Quemadmodum enim cor & arteriæ ratione motuum systoles & diastoles sanguinem per omnem corporis ambitum distribuunt, ita frictio extremis vasis externe loco novi cordis inservit, & facit, ut arteriæ & venae capillares ad munera sua rite obeunda excitentur, & tardior humorum progressus & refluxus inde facilitetur. Medico incumbit naturalem cordis motum & omnium vasorum semper conservare, læsumque restituere. Cum autem in vasis majoribus non facile occurrat morbus, qui non in minimis primam suam

suam originem sumisit; facile patet, frictionem omnibus fere medicamentis palnam præripere, imo ipsam venæsectionem antecellere. Nolo cum *Helmontio* venæsectionem e foro medico proscribere, cum ejus commoda *Laurent, Bellini* de sanguinis missione abunde & eleganter demonstravit; sed modo innuo, quod non tanta a venæsectione in corpus humanum redundare possint commoda, quanta a frictione profiscantur, ut adeo, si illa demum instituenda sit, hæc semper fere præcedere debeat. Sicut enim omnis nutritio, id est appositiō perdit, & accretio, id est extensio fibræ ultimæ, fiunt in minimis vasis, quæ mere nervosa esse videntur, ita etiam omnis actio medicamentorum sive agent replendo sive evacuando etsim necessario fiat in minimis vasis. Cum igitur omnium liquidorum mutatio fiat in minimis vasis, frictio etiam, quæ proxime in vasis minimis & liquidis in eis contentis operatur, aptissimum remedium existit, ut mutatio hæc rite & debite procedat.

§. XVIII. Mutantur autem vasa & liquida in eis contenta, dum certæ quædam determinatae proprietates, tum solidorum tum fluidorum, uti & sex rerum non naturalium certæ quædam directiones in corpus humanum a statu naturali deflectant & desinant. Fibræ, ex quibus vasa sunt conflata, certum determinatum elasticitatis gradum habent: Siquidem enim, si nimis elasticæ forent, rigiditatem induerent, nec amplius essent mobiles; sin vero non satis elasticæ sed laxæ & debiles, extra situm expulsæ manerent, & non reagerent, neque ullam in liquida actionem ederent. Si spæctes fluidorum corporis nostri proprietates, videbis, cuique particulae fluidi nostri competare determinatam molem, figuram & soliditatem, deinde vim quandam ad concretionem tendentem & separationi resistentem,

porro specificam gravitatem, & denique varios motus projectilis gradus. Sed haec proprietates facile affici possunt, si sex rerum non naturalium determinatae directiones in corpus humanum non prospere succedant.

§.XIX. Verum inter sex res non naturales, aer sece ostendit, qui maxime omnium varias mutationes inevitabilles corpori inferre valet. Dicit Hippocrates libr. de flatibus, quod aer maximus sit in omnibus que corpori accident, & vita & morborum autor & dominus. Affectus animi quidem cibi & potus, somnus & vigilia, motus & quietes corpora afficiunt, & magnam iis mutationem inducere valent; ita tamen possunt moderari & corrigi, ut omnino nulla inde notabilis noxa oriatur. Sed aer, qui corpora nostra ambit, intrat, mutat, perraro ita emendari potest, quin vires suas in corpore exferat. A physico aer secundum propriam naturam tripliciter consideratur, nimirum gravis & elasticus, deinde exhalationibus refertus, denique a sole, luna, & aliis forsitan planetis determinatus, & hac triplici conditione saepius laedit, & sua in nos actione exprimit conceptas mutationes, vel frigoris, vel caloris, vel densitatis vel raritatis, vel puritatis vel impuritatis. Unde ab aeris statu ut plurimum pendet perspiratio sanctoriana, quae, si ille bonus, etiam bona evadat. Nec immerito inde concludo, quod omnes fere morbi originem suam trahant a lesa transpiratione. Egregia sunt, quae dicit Primoſus libr. 3. de erroribus vulgi cap. 2. Vix fieri potest, ut ille, cui corpus optime transpirat, in morbos graviores & periculostores incurrat. Et Hippocrates libr. de alimentis dicit; eos, qui bene perspirant, facilius ac melius iis ad pristinam sanitatem perduci, quorum corpora male transpirant. Sanctorius Sect. L aph. XI. in medicina statica scribit. Si ex staticis deprehendatur, impedimentum

tam esse perspirationem, dielus sequentilus vel succedit plenior perspiratio, vel aliqua evacuatio sensibilis plenior, vel cachexiae vestigium, vel febris & aph. XLII. Prima morborum seminatius cognoscuntur ex alteratione insolite perspirationis, quam ex lexis officiis. & aph. 43. Si ex ponderatione videris consuetum perspirabile retineri, & sudorem vel lotium post aliquot dies non facessere, inde cognoscere, retentum prænuntiare futuram putredinem & aph. 44. Si vero ex ponderatione videris ob causam violentam perspirabile plus solito evolasse, scias in locum perspirabilium violenter evacuatorum statim confluere cruda, & in meatibus impingi, & multa inde mala nasci.

§. XX. Possem hic ex variis auctoribus demonstrare, qui omnes uno ore consentiunt, quod a læsa perspiratione plurimi morbi oriantur; sed nolo hic immorari, cum quatuor anni tempora ac variaæ aëris vicissitudines id satis abunde affirment. Et cum *Hippocrates* Sect. III. aphorism. accuratas nobis hac de re observations reliquit, cuicunque illas revolvere aditus patet. Interim vero curiosa admidum observatio est practicorum, quod ægroti & imbecilles citius sub aëre sereno, puro, frigidiusculo, sique argentum vivum altiora petit, ad pristinam sanitatem reducantur, & medicamentorum vires se melius exserant, quam iis temporibus, quando cœlum turbidum, nebulosum, pluviosum & mercurius in descensu est. Aër enim serenus, purus, frigidiusculus ratione corporis prementis agit, & jugiter epidermidem & subiecta vasa premit, leniter contrahit, & breviora reddit, inde robur fibris conciliatur, & partium fluidarum decens mixtura ac temperies conservatur. Et cum ab hoc aeris statu circulationes humorum, & perspirationes promoveantur, facile patet, aërem pluviosum, nebulosum, contrarios edere effectus. Inde medico incumbit omnes

semper cogitationes eo contendere, ut mutationes aeris perspectas sibi cognitasque habeat; Quæ cognoscuntur barometris, thermometris, & hygometris. Barometra aeris gravitatem & levitatem, thermometra caloris ac frigoris, hygometra varios humiditatis & siccitatis gradus indicant, unde eorum usus medico admodum commendandus est, ut eo melius aërem excessu suo peccantem & corpora nostra afficientem frictione emendare possit, ut æquilibrium inter corpus & aërem nobis incumbentem conservare, & consequi sciat medicus.

§. XXI. Si enim aer nimium gravis & frigidus comprimat omnes canales ac constringat, humores totius corporis retrahit, condenset, spisset, & faciat, ut extrema cutis vascula siccentur, emoriantur, majora obstruantur, unde mutatur circulatio, transpiratio, retinetur acre, oritur putredo cruditas, enascitur febris, inflammatio, apostema; necesse erit, ut humido quodam corpora lenissime fricentur, ut poti laxentur, & a nimia contractione vindicentur.

§. XXII. Quodsi autem aer nimium levis sit, qui vasa minus premendo aperit, laxat, humores rarefacit, & varia inde mala corporibus infert; aut nimium humidus, qui etiam fibras laxat, debilitat, serum auget & perspirationem prohibet; quid melius, quid præstantius esse potest frictione nostra, quæ loco adstringentium & roborantium infervit, ut laxitas & debilitas vasorum tollatur, & liquidi nimia fluxilitas & copia corrigatur.

§. XXIII. Possim hie reliquas, quibus aer obnoxius est mutationes recensere & ostendere, quomodo medicus per frictionem mala, quæ corporibus ab aeris injuriis inferuntur, amovere possit; sed nolo hic diutius immorari. Interviro vero, ut eo melius cognoscatur utilitas frictionum, mei

mu-

muneris esse judico morbos quosdam pertractare, & cum proxima causa plurimorum morborum sit stagnatio liquidi cuiusdam in minimis vasis, arteriosis, animus fert de curanda obstruktione per frictionem aliquid differere. Antequam autem me ad id accingam, admonento *Celsi*, quod ille optime morbis succurrere posse, qui, unde hi sint, norit, stagnationem explicare conabor.

§. XXIV. Stagnare dicitur liquidum, quando per vas, per quod transire debebat, transire nequit, sed in illo remorari patitur, quae producitur in primis ex vasorum compressione, ex nimia vasorum contractione, sanguine nimis crassilo, errore loci.

§. XXV. Quod ex vasorum compressione liquidi stagnatio in vasis oriatur, nemo facile negare poterit. Cum enim per compressionem vasorum diametri decrescant, adeo ut diametrum aperturæ fiat diametro sphæræ sanguinis minor; liquido transitus negatur, & ob impedimentum liquidi transfluxum fit stagnatio.

§. XXVI. Nimia vasorum contractio pendet a tali fibrarum vi, per quam ad impulsu non ita cedant fibræ, ut flexio fiat debita pro conservanda sanitate. Quo plus enim augetur vasorum contractio, eo vehementius coarctantur vasa, ut liquida per ea transire nequeant, sed stagnent, ut ostensum est de compressione vasorum.

§. XXVII. A sanguine fit stagnatio, dum figura ejus mutatur, aut liquidissima sanguinis pars incrassatur aut expellitur, quiete, calore maximo, frigore acri, omni motu excretorio aucto, circulari motu aucto, coagulo acido, austero, spirituoso, viscositate. Ostendit *Lærenheckius* omnes sanguinis nostri particulas esse sphæricas. Cum autem sphærica ejusdem figura pendeat a pressione ab omni parte æquali,

quali, facile appareat quod, si pressio hæc ab omni parte æqualis remittat, liquidi particulae ex sphærica in aliam figuram mutentur. Si igitur liquidi particulae aliam figuram assumerint, per vas transire non poscent, sed stagnant. Sanguis incrassatur coniunctione globulorum sanguineorum antea seorsim fluentium Ponamus enim, quod, ad liberum sanguinis transitum conservandum, requiratur, ut per datum quoddam vas unus sanguinis rubri globulus fluat; sin autem duo tales globuli, ex quacunque causa sint compacti, per tale vas transire nequeant, sed necessario stagnant.

§. XXVIII. Errorne denique loci fit stagnatio, quando globulus ruber sanguinis, qui demonstrante *Læwenbekio* ex sex ferosis globulis constat, fluit in laterale quoddam vas, sanguinis serum modo vehens; Talis autem error loci producitur plethora, motu nimio diuque continuato, debilitate vasorum.

§. XIX. Perspectis itaque causis, quibus stagnatio liquidi fit, sequitur, ut ad ejusdem curationem me conferam.

§. XXX. Si igitur stagnatio a nimia vasorum contractione originem suam traxerit; quid melius esse poterit, quam iis uti remediis, quorum ope nimia contractio fibrarum emendatur. In tali autem fibrarum rigiditate cum sit necesse, ut adhibeantur laxantia, emollientia, ut vas a debitam laxitatem reducantur, & nimia vasorum inde resistentia tollatur, præ aliis sese commendat lenis frictio cum multo oleo dulci aut quocunque liquido blando tepido instituenda.

§. XXXI. Quod si autem a mutata fluidi figura in aliam oriatur stagnatio, opus est, talia remedia adhibere, qualia fluido pristinam suam reddere figuram, & stagnans fluidum in motum redigere valent. Sed hic frictio præ aliis

aliis medicamentis mihi arridet. Etenim per duplarem ejus actionem, nimirum compressionem & remissionem reciprocus vasis conciliatur motus, quicquid inhæret vasis, per compressionem exprimitur, & dum pars pressa libera a pressione iterum evadit, liquidum, quod ad partis pressæ principium substiterat, majori velocitate derivatur in vasa partis a pressione levata, & sic circulatio adjuvatur.

§. XXXII. Quando autem ab errore loci stagnatio proficitur, frictio etiam hic magnas laudes meretur. Si enim plethora, qua est nimia abundantia boni humoris in corpore, propter nimiam copiam vasa dilatet, & stagnationem errore loci faciat; teste Galeno l. 3. meth. med. & de viectus ratione in morbis acutis Comment. 4. frictio ad sudorem usque diuque continuata ipsam corporis plethoram morbosque inde oriundos brevi tollit. Sin autem propter debilitatem vasorum stagnatio errore loci fiat, optimum adstringens & roborans audit frictio.

§. XXXIII. Ostensum itaque est, quid frictio valeat in obstructionibus. Cum autem stagnatio liquidi in vasculis arteriosis causa proxima omnium inflammationum sit, lubet hic etiam de inflammatione aliquid dicere.

§. XXXIV. Inflammatio est sanguinis rubri vel cuiuscunque generis liquidi arteriosi in canalibus arteriosis stagnantis attritus a motu & pressione subsequentis sanguinis moti. Quod stagnatio liquidi in arteriis causa proxima inflammationis sit, quod inflammatio in omnibus acutis adfit,clare nos docent horripulatio, mox subsequens pulsus velox, calor. Horripulatio in acutorum initii oritur ex imminuto attritu liquidorum in se mutuo, motu circulari minuto, & liquido ad extrema stagnante. Adebet pulsus velox, durus, plenus, qui semper secundum Baglivum est

C

comes

comes omnium inflammationum individus, quia fibrae musculares vasorum, magno nixu conantes obstruens transjicere, irritantur, ut citius se contrahant. Sequitur calor, quia hic adeat febris, & naturae maximus conatus ad obstruentem materiam transmittendam, hinc augetur attritus. Patet vero omnem corporis nostri calorem pendere ex attritu, qui sit inter solidas partes & fluidas nostri corporis; aucto itaque hoc attritu apparet, quod debeat augeri calor, id est, fieri collectio major ignis in parte inflammativa, ubi attritus augetur.

§. XXXV. Ex definitione inflammationis itaque patet, quod in morbo inflammatorio, uti recte dicit Bagivus, necesse sit, ut debita laxitas parti inflammatae procuretur per debita remedia, ut materia obstruenti concilietur fluiditas attenuando, diluendo, ut materia crassa retropellatur in vasa majora, ut materia cruda resolvatur. Debita laxitas parti inflammatae conciliatur, dum pars inflammatae leniter fricitur oleo blando dulci, aut aqua tepida, quae panacea omnia liquida resolvens audit, aut bile animali, unde resistentia vasorum cessat. Dilatatis vasis per lenem frictionem, quae reciprocum compressionem vasorum & laxationem facit, materia obstruens in motum redigitur, ex vase minimis expellitur, & in vase majora retropellitur. Materia cruda resolvitor, attenuatur, diluitur, si illa moveatur, & ex motu mutua & amicus partium attritus sequatur. Quid opus est multis medicamentorum farraginibus uti, unica frictio sufficere potest cum prudentia, consilio instituenda. Si autem inflammatio cedere his remediis, frustra, non, aut sero adhibitis, nolit, sed in pus vergit, etiam frictio hic sese commendat ad efficiendum, ut tuto, ut cito, ut jucunde solamen agrotis afferatur. Et ad

ad id demonstrandum variolas adducam, quæ, licet ut plurimum ab impuritate quadam aëris proficiscantur, tamen ad morbos inflammatorios referuntur.

§.XXXVI. Quod variolæ sapenumero ab aëre pendant, nemo negare poterit, qui secum perpendet, illas verno tempore incipere, aestate crescere, languescere autumno, hyeme vero cessare. Cujus naturæ autem contagium istud aereum sit, quod tantos effectus edere valeat, eo solatio ignoro, ut nemo facile sit, qui se exacte scire glorietur. Oscuritatum plena sunt, quæ dicunt autores de indole hujus veneni, & quo plus se extricare satagunt, eo vehementius in difficultates & tenebras incident. Miki interim abunde est, quod sciam, variolas ad morbos inflammatorios pertinere. Robur huic sententia Medicorum fulcrum ac decus Boerhaven addit, dicens: *Morbus variolæ affinis est omni acuto inflammatorio, & difficulter ab eo in initio distinguitur, nisi scientia epidemici regnantis, egri in hunc morbum proni, contagii progressi, & inde secutorum symptomatum.* Simulac contagium variolosum in corpus est delatum, confessim se ostendunt horripalatio, rigor, febris acuta, calor ingens, perpetuus, oculorum splendor a liquore tenui & calido illapsò, capitis, dorso, artuum dolor magnus, maxime circa partes, cordis scrobiculo subiectas, vomitus, nausea, inquietudo magna, stupor, somnolentia, atque in infantibus insultus epileptici, quæ omnia signa sunt morbi acuti inflammatorii, ut inde variolæ curandæ veniant methodo universali antiphlogistica. Quod si igitur nonnulli sint, qui suis oblectantur conjecturis, & methodum universalem antiphlogisticam in variolis rejiciunt, mea jam parum refert; cum iis incumbat cura, ut ægroti, iis fese committentes, illorum methodis a variolis curentur.

§. XXXVII. Cum igitur variolas inter morbos inflammatorios retulerim, mearum nunc partium erit hic indicare, quomodo stimulus inflammatorius auferri potest, quomodo cavitur, ne inflammatio in pus gangrenam iuvet. Jam vero scimus, quod, simulac contagium variolosum corpori illatum est, confessim se ostendant signa morbi inflammatorii, quem facit stagnatio sanguinis rubri vel cujuscunque generis liquidi in canalibus arteriosis, & virium vita posterior pressio in stagnantes partes cum febre coniuncta. Cum igitur cura ejus optime eveniat, si stagnans materia inflammatoria ad naturalem fluiditatem reducatur; omnia, quæ dixi de inflammatione ejusque cura, hic quadrant; adeo ut, si medicus in initio vocatus mente suam ad id sollicite advertat, impedire possit, ut morbus variolosus, teste *Bærhaven*, sine variolis contingat. Et quid obstare potest, quod eventus rei voluntati medici repugnet? Quid impedit experimentorum raritas? Variolæ enim ad morbum inflammatorium accedunt, & in morbo inflammatorio requiritur, ut liquido stagnanti per vasa transire incapaci transitus concilietur; hoc facto reliqua symptomata evanescent. Certe hæc omnia perficit fructus nostra, cuius beneficio ægroti a multis periculis, & molestiis libere evadere possunt: Si enim inflammatio sublata, si materia obstruens emendata, attenuata, & resoluta, si perspiratio iterum integra, nihil mali supererit. Tollitur autem inflammatio, si partes inflammatae leniter fricentur in balneo vaporis, unde a nimia resistentia & duritate vascula vindicantur, & ad debitam laxitatem perducuntur: emendatur materia obstruens, si cohæsio partium auferatur; attenuatur, si in motum reducatur, & partes ante cohærentes se invicem iterum blande atterere, & in minores dividere possint: resolvitur  
vero

vero, si stagnans materia inflammatoria in naturalem fluiditatem, cohæsione sublata, motu liquidi restituto, sit reducita. Interim vero nec damno, sicut in omnibus inflammationibus, ita etiam in variolis potum aquæ subacidulae, nitroæ, viictum tenuem etsi; sed admodum potius ægris commendo, quæ omnia adjuvant, ut eo melius, eo jucundius ab hoc malo liberetur æger.

§. XXXVIII. Quod si autem medicus sero ad ægrotos admissus sit, & puncta parva, rubra, instar morsus pulicaris jam propullulare videat; etiam hic frictione nostra perficere ille potest, ut materia in cute hærens perspiret, & in auram beat. Puncta enim hæc in cute excitantur, dum cutis propter nimiam inflammationem tensa perspiratio nem impedit, & propter impeditam transpirationem, quicquid a vi vita ad vasa cutis defertur, ex illis exire nequit, sed remoratur, stagnat & subsistit; unde quoque vellicatio nes, dolores, tumores, erosiones, suppurations. Hinc igitur necesse, ut cutis leniter fricitur, & durante frictione vapores aquæ tepidae cuti applicentur, qui adeo penetrant, atque relaxant, ut materia in cute hærens a contactibus suis, ad quos fistit, dimoveri, dilui, moveri, & partim per transpirationem abire, partim ad motum circularem reduci queat. Ita enim parva hæc puncta evadere possunt, ut non in suppurationem abeant; Ita ægrotia foedissima cutis con spurcatione immunes evadere queant. Quo natura vergit, eo etiam ducenda est secundum Hippocratem. Tendit autem natura materiam obstruentem per cutem eliminare, sed ob nimiam resistantiam vasorum, ob nimiam impac tam molem fluidi obstruentis scopum suum semper consequi nequit. Ostendit natura vias, per quas materia ob struens ejici debet; hinc medico incumbit, ut naturæ suc

C 3

eurrat,

currat, ut vias aperiat, per quas ejici potest. Et huic fini inservit frictio, quæ ad extrahendam, ut ait *Mercurialis de variolis materiam a centro ad peripheriam* apta evadit. Dicit *Baglivus*, quod variolarum eruptio opus sit naturæ, ei igitur parendum, ejus motibus per opportunare media obscundandum. Sed quid variolarum eruptionem adjuvare, quid naturæ succurrere melius poterit frictione? quomodo medicus naturæ voluntati obediens, ejusque motibus se accommodare melius poterit? quam ea monstrante, materiam obstruentem per frictionem ita emendare, ut sine noxa e corpore eliminetur, aut in naturæ nostræ partem iterum abeat, & sanis assimiletur.

§. XXXIX. Si vero variolæ jam in eum statum sint redactæ, ut sine suppuratione nequeant curari; in hoc statu etiam summo cum ægrorum emolumento frictio curam absolvit. Etenim eo nunc respicendum est, ut suppuration crescat, & perficiatur, ut exitus puris ad exteriora, ab interioribus expulsio promoteatur. Hic itaque efficit frictio humida tepida, ut materia a vi vitæ superfite determinetur ad eum locum, ubi excretio fieri debet; hic perficit frictio, ut materia alliciatur ad eum locum, ubi suppuration fieri debet; hic facit frictio minus resistere vasa, & maiorem influxum liquidorum, unde, tumor, suppuration oritur. In loco igitur collecta materia, ubi excretio fieri debet, frictio, ceu pistillum in mortario, materiam terit, coquit, & ad maturitatem perducit; maturata vero materia, vascula rumpit, & exitum puri conciliat. Denique tempore exsiccationis inservit frictio cum oleo dulci aut sapone leni, ut materia corrosiva, & quicquid vasculis ab alieno corpore adhuc tenaciter adhæret, detergatur, & vulnera curentur. Et sic frictio curam variolarum ad finem perdu-

cere

cere potest. Libet igitur ulterius progredi, & frictionum usum in uno atque alio morbo brevibus adhuc indicare, & primo quidem in apoplexia.

§. XL. Apoplexia est repentina omnium functionum animalium in motu & sensu consistentium cessatio cum facultatum principum laesione, quæ oritur vel a denegato auditu sanguinis ad cerebrum, vel a spirituum animalium prohibito e cerebro exitu: superstite tamen pulsu plerumque forti & respiratione difficulti, magna stertente una cum imagine profundi perpetuique somni.

§. XLI. Dividitur apoplexia a plerisque in sanguineam & pituitosam; alii vero adhuc addunt divisionem, in polyposam, serosam, & atrabilariam. Interim autem praeterream hic varias autorum sententias de sede, origine & causis apoplexiæ, & brevitatis causa ad ipsam curationem me accingam.

§. XLII. Si itaque apoplexia pituitosa æger laboret, necesse est, ut pressio in vasæ cerebri auferatur, ut materia crassa, pituitosa attenuetur, diluatur & rursus moveatur. Et huic scopo inseruit frictio. Frictio enim, quæ applicatur erubibus, femoribus, pedibus, allicit hic majorem copiam humorum, & derivat illos versus femora, crura, pedes, unde pressio in vasæ cerebri minuitur. In partibus itaque oppositis collecta majori copia humorum continuata frictio evacuat illos secundum Bohniam in offic. dupl. med. qui frictiones evacuationes universales, insensibiles vocat. Lenta vero atque pituitosa materia emendatur frictione, dum illa iterum in circularem motum reducatur, ut ostensum est de stagnatione liquidi. Cæterum frictiones non solum in partibus oppositis sed etiam per totum corpus institui possunt & frictio nuchaæ ac spinae dorsi cum oleo, aut spiritu quodam

quodam penetranti non est contemnenda. Hanc sententiam quoq; fovet *Wipferus* de apoplexiæ observationibus dicens p. 535. *Interim sunt extremarum partium frictiones cum spiritu vini calido.* Porro inquit ille; *Frictiones calide instituantur in capite, ut pori nervorum aperiantur, & materia peccans loco moveatur, attenuetur, evacuetur;* quæ frictiones etiam post paroxysmum continuari possunt. *Nenius* in Tom. III. pag. 434. Et *Junckerus* in Tab. Theoret. Pract. c. II. pag. 634. jubent, *frictiones apoplecticis cum pannis asperis calefactis in pedibus applicari.*

§. XLIII. In apoplexia sanguinea etiam institui potest frictio revulsionis gratia in partibus oppositis, ut sanguis frictione eliciatur e cerebro, & ad motum circularem iterum reducatur.

§. XLIV. Quod si autem humor quidam in cerebro extravasatus sit, per frictionem etiam efficere potest medicus, ut venæ iterum resorbeant effusum liquidum, & ad cor revehant.

§. XLV. Cum igitur ex dictis appareat, usum frictionum in apoplexia non esse contemendum, quisque facile videbit, in omnibus morbis, qui conjunctionem quandam habent cum apoplexia, frictionem etiam adhibendam esse. Nolo itaque diutius hic immorari; Sequitur itaque paralysis

§. XLVI. Paralysis vocatur laxa & flaccida musculorum immobilitas, quæ oritur ex impedita communicazione liquidi nervosi a cerebro in villos muscularum, vel liquidi arteriosi a corde in eosdem. Si morbus hic curationem adhuc admittat, frictiones nostræ admodum se commendant. Frictiones enim siccæ calidæ ad ruborem usque vel cum spiritibus penetranti & stimulante virtute præditis, aut

cuma

cum oleis, balsamis, nervinis faciunt, ut robur fibris consilietur, & muscularorum motus redeant. Quicquid obstructionem peperit, per frictionem discutitur, quicquid laxam immobilitatem muscularum fecit, per frictionem dissipatur. Interceptus fluidorum fluxus frictione restituitur, vasa obstructa frictione aperiantur, nervi & musculi frictio ne roborantur. Et cum rheumatismus conjunctionem quandam habeat cum paralyysi, libet eum huic annexere.

§. XLVII. Rheumatismus est immobilitas muscularum cum dolore, sive dolor partium musculosarum cum imbecillitate aut infibilitate conjunctus, nunc cum, nunc sine febri. Differt rheumatismus ab arthridide, quæ ipsos articulos occupat; rheumatismus vero spatia magis intermedia, sive partes musculosas circumiacentes afficit. Et quia hic morbus saepenumero dorsum occupat pertinaci dolore cum immobilitate conjuncta, dolor ipse interdum descendit ad os sacrum, & ibi mentitur nephridiem, unde etiam a practicis, & Sydenhamo vocatur lumbago rheumatica. Differt autem lumbago rheumatica a nephritide, ubi conatus vomendi & major difficultas circa vias urinarias observantur.

§. XLVIII. Causa proxima rheumatismi est inflammatio in arteriis lymphaticis, non tam saeva, ut in suppurationem abeat; sanguis interim pleuriticorum similis est.

§. XLIX. Quod ad ejus curam attinet, per frictionem nostram hunc morbum curari automo. Cum enim eo respiciendum sit, ut dolor partium musculosarum tollatur, ut imbecillitas partium auferatur, ut immobilitas cum dolore emendetur, quid melius curam absolvere poterit frictione? Dolor enim est tristis illius idea perceptio, quæ concomitatur distensionem nervi alicujus, eaque, si maneat diu, vel augeatur, proximum statum dissolutionis in hac fi-

D

bra

bra inducit. Et quia fibræ nervosæ elongentur adeo atque distendantur, ut rupturæ proximæ veniant, & liquidum tenuis in auram avolet, crassum remaneat, vasa ob nimiam distensionem, ob nimiam impastam molem fluidi imbecilia evadunt, & mobilitatem suam amittunt. Hinc itaque necesse est, ut partes musculosæ leniter fricentur cum oleo dulci tepido, aut aqua tepida, ut distensio fibræ nervosæ cesseret: sublata distensione fibræ nervosæ, & laxata fibra nervosa per frictionem educere possumus, quod distensionem fecit: educto eo, quod dissolutionem minitur, doloris sensus perit, motus inæqualis tollitur, hoc facto æger sanatus est. Et sic frictio ægrum ad sanitatem perduxit, & ab hoc morbo liberavit.

§. L. Possem hic adhuc multa recensere morborum genera, qui a laxitate fibrarum, vasorum, viscerum, horumque obstructione pendent, qui ex circulationis defecitu, plethora, liquidorum nimia cohaesione proficiuntur, sed cum horum numerus ingens sit, hic subsistam.

Deo autem Optimo Maximo pro concessâ benignitate gratias ago, non quantas possum, sed quantas ei debo.



**ULB Halle**  
004 367 324

3







DISSESSATIO MEDICA INAUGURALIS 1725,2  
DE  
**USU FRICTIONUM  
IN MEDICINA,** 10/  
QVAM  
ANNUENTE DEO,  
CONSENTIENTE  
**GRATIOSO ORDINE MEDICO,**  
ET MODERANTE  
VIRO AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**DN. CAROLO FRIDERICO**  
*Luther/*  
MEDICINAE DOCTORE, EIUSDEMQUE INSTITUTIO-  
NUM, PHYSICAE ET BOTANICAE P. P. O.  
PRO  
**SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET**  
PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,  
PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT  
**GEORGIUS FRANCK,**  
KILIA HOLSATUS,  
AD DIEM DECEMBER. CIO IOCC XXV.  
IN AUDITORIO MAIORI  
HORIS SOLITIS ANTE ET POMERIDIANIS.  
—  
KILIAE,  
LITTERIS IO. CHRISTOPH. REUTHERI, ACAD. TYPOGR.